



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LVIII. Lamentum Magdalenae dum Christvs sepulcro conditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Illum & Berhanidum conscia saxa gemunt.
 Crudeles nimum (si fas sit dicere) Diui!
 Cur tantum, ah! terris inuidet æthra decus?
 Ver abiit cum flore, breues fluxere corollæ;
 Pro violâ en mœstis sparsa fauilla comis.
 Non tenerâ byssum lapis asperat Indus, & aurû:
 Sed sedet in furuo nubila vita peplo.
 Stat cultu sine cultus inops, sine luce vel ostro;
 Bærica natiuo lana colore gemit.
 O quoties madidis solemnia vota tabellis
 Suscipis! & ventis murmur inane voues!
 O quoties surdo numeras suspiria busto!
 O quoties muto puluere muta sedes!
 Quis numeret, quoties respectas cæca sepulchrum,
 Delusis quoties ægra doles oculis?
 Visa frui, quoties vanas amplecteris auras,
 Tristis vbi somnus fratris imago redit?
 Nec credit. ah quantû scelus est mors ausa! dolori
 Vsq; tuo vt uiuat frater, vbique perit:
 Carnificesq; animat crudo sub pectore flammæ,
 Insolabiliter queis flagrat æger Amor.
 Ibit iniusta pari nunc & soror ipsa cupressu,
 Fratris in inferias victima prompta mori?
 Te, cui mors parcat, rapit ergo tyrannis Amoris?
 Quod genus hoc pietas? fit graue crimẽ Amor.

L V I I I.

Lamentum M A G D A L E N A E *dum*
 C H R I S T V S *sepulchro conditur.*

M I E S V, diu fida meæ tutela salutis,
 E gremio præceps laberis in tumultum
 Deli-

Delicias nunc ergo meas, & pignora vitæ,
 Eripit amplexu mors scelerata meo?
 Quo rapit, ah! IESVM, rapit & mea viscera saxo,
 Et mea cum IESV corpore corda tenet;
 Includitque pari me mors æquæua sepulcro:
 Sic equidem voueo, sed vetat asper Amor.
 Ah raptum decus! ah igitur mea gaudia rupes,
 Et premit affectus luida petra meos?
 Bruta filex seruat, nec habet sua Magdala IESVM!
 Magdalis an saxo durior ergo filex?

L I X.

MAGDALENA ab CHRISTO
*absente tenebras, à præsentem lucem
 accipit.*

QVOD super, & quod fas fuerit, dabo vota
 sepulcro;
 Et sacro cineri dona suprema feram.
 O nimium felix marmor! domus hospita leto,
 Quæ claudis grauido marmore feta Deum!
 Delicias cape læta meas, cape pignus Amoris;
 Nobile depositum, quod tuearis, habes.
 Orbita dum refugis teritur Phœbea quadrigis,
 Et mea cum Phœbo spes redeunte redit:
 Hæc inter Domini, sine luce, sine igne vel aurâ
 Aetheriâ, ad tumulum Magdalis orba gemet.
 Aspicias hanc serâ quæ noctis oberrat in vmbra;
 Ah animi speculum conscia Luna mei est.
 Obuia Phœbeos Phœbe si concipit ignes,
 Oppositoque bibit fratris ab ore iubar;
 Cynthia fraternis ardet foror æmula flammis,